

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0961
	0959
	0965
	0955
388	0970
sicut Esai. XXXVII. dicit: Exultabit solitudo et florebit quasi lilyum, in adventu scilicet cultorum. Sic principes et divites aedificant solitudines, Job. c. 3., quia loca deserta cultivant et novalia novant, sicut praecepit Dominus, Jeremiae 4.: Novate vobis novale. Sic Josuae 17. praecepit filiis Joseph, ut ascenderent montes incultos et desertos, (22 a) et succiderent arbores et locum purgarent et spatia ad habitandum facerent. Spatia etiam et loca, in quibus olim erant habitationes et esse desierunt, deserta dicuntur, sicut Nehemiae 2. de sancta civitate, quae tunc civitas non erat: Jerusalem deserta est. Et Esiae 1.: Terra vestra deserta, civitates destructae. Et hoc plerumque contingit propter hominum inhabitantium peccata. Unde Psalmus: Posuit terram fructiferam in salsa in malitia inhabitantium in ea. Unde Matthaei 23.: Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta. Et Psalmus: Fiat habitatio eorum deserta.	0950
Secundo modo desertum dicitur locus solum ex eo, quia ibi non est habitatio hominum, licet ibi sint horti, agri, prata, pascua, pomoeria, sicut ibi Lucae 17.: Dimitit nonaginta novem oves in deserto, i. e. in loco pascuae. Et Exodi III. minavit Moyses gregem ad interiora deserti, sive ad pinguiora pascua. De tali deserto dicitur Esiae 41.: Ponam desertum ejus, scilicet terrae sanctae, quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Tertio modo desertum dicitur locus silvestris vel campestris, nemorosus vel vacuus, quem homines non incolunt, in quo leones, ursi, cervi, lupi et caeterae ferae currunt, sicut Marci 1.: Expulit Jesum spiritus in desertum, eratque cum bestiis. In quo quidem deserto non habitant homines, licet possent ibi habitare, quia ibi crescunt virgulta et sunt ibi aquae, quarum gratia possunt ibi bestiae vivere, sicut etiam in deserto Johannis baptistae, et in deserto beati Jeronymi. De quibus in prima parte dictum est. Quia hoc certum est, quod in quocumque loco leo vel ursus, lupus aut cervus vivere potest, illic etiam potest homo vivere, et ubi homo potest se nutrire, ibi et fera potest esse. Sed ubi fera non potest manere, nec homo, et e contrario. In hoc tamen differentia est, quod bestiae non utuntur de necessitate igne in suo nutrimento, sed homines	1010
	0910
	1060
	0860
	0460
	Ende
	Anfang